



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 840. An & qualiter professio dissolvi possit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](#)

cognoscatur, ac dein clausulae in rescripto desuper obtento exacte observandæ.

**Quæst. 840. An & qualiter professio dis-  
solvi posse?**

1. **Resp.** Primo vinculum professionis seu obligatio ad tria vota substantialia & manendum in religione ex parte professi est omnino indissolubilis & non secus quam donatio alteri facta invito donatario revocari nequit. Sed neque ex parte religionis, ut pote quæ se obligavit absoluere & simpliciter ad profectum alienum & regendum; neque etiam mutuo consensu religionis & religiosi dissolvi potest. *Suar. tom. 3. derelig. L. 6. c. 14. n. 2. § 3.* *Leff. L. 2. c. 41. du. 8. n. 7.* *Castrop. L. c. 8. n. 1.* *Pirh. b. t. n. 143.*

**Arg.** c. 6. b. 1. & juxta quod parer ex usu & traditione omnium Ecclesiarum. Idemque est de votis binenniis in societate, quatenus etiam emitentes ea obligantur perpetuo societati, & hæc illos ad alienum & retinendum, dum justa causa dimittendi eos non supervenit. *Castrop. L. c.* Potest nihilominus papa per legitimam dispensationem solvere vinculum professionis, ita ut professus definat esse religiosus, & votis solenibus obstrictus. *Suar. L. c. tr. 3. l. 6. c. 16. § 17. n. 5.* *Sanch. de mar. 1. 8. d. 8. n. 7.* *Pirh. n. 144.* cum communis contra D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 11. Et in hoc sapientis dispensatione pontifices, videre est apud Baron. *ad annum Christi 1041.* & *Suar. lit. c. 17. n. 6.* ex ea etiam ratione, quod papa, ut habet communis DD. dispensare potest in votis simplicibus, adeoque & votis solennibus, quippe quorum solennitas non nisi constitutione Ecclesiae inducta c. *unic de votis in 6. tradita eidem à Christo in Petro universalissima potestate solvendi, ac proinde quidquid ex natura sua insolubile non est per publicam potestatem, vel à Christo solvi prohibutum, quale quid non est professio.* His non obstante ratione S. Thomæ, dum dicit, solennitatem voti consistere in quadam consecratione & benedictione, vi cuius, quod consecratum est, converti amplius nequeat in usus profanos. Siquidem id verum est, manente consecratione, hæc autem auctoritate Ecclesiae tolli potest & redditus non amplius consecrata, ut patet in calice confracto, qui destruetur formam, manente ejus materia, fit non consecratus. Addit, quod status religiosus consistat in aliqua consecratione indistincta ab ipsa obligatione votorum, quæ tollitur per dispensationem.

2. **Resp.** Secundo: vinculum professionis non solvitur per promotionem professi ad Episcopatum, sed manet omnibus votis religionis obstrictus, ita cum D. Tho. 2. 2. q. 185. a. 8. *Leff. L. 2. c. 40. n. 113.* *Sanch. L. 6. mor. c. 6. n. 2.* *Pirh. b. t. n. 145.* & alii communiter, non enim status religiosus, quo ad substantialiam pugnat cum statu Episcopali, nec eum dedecet, & quidem de voto castitatis pater. Votum etiam obedientia in substantia manet, quin & in effectu, non quidem erga superiori regularem, sed erga summum pontificem, tanquam supremum omnium ordinum religiosorum Generalem, cui speciali voto obedientia præter obedientiam generalem ab omnibus fidelibus ei debitam tenetur obedire, neque à voto paupertatis eximitur quatenus non sit dominus bonorum seu reddituum ecclesiasticorum, sed solum administrator; neque acquirit jus succedendi in bonis patrimonialibus, ultra quod habebat existens in religione, ita tamen, ut quæ acquirit, non jam religioni, sed Ecclesie sua Episcopali acquirat *juxta c. unic. caus. 18. q. 1.* Quin &, si assumptus ex ordine mendicantium, licet jus illud successionis aliquo modo extinguitur

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

revivisca per illam assumptionem in commodum Ecclesie Episcopalis, cui acquiritur dominium rerum sic obtentarum, ipse vero administrationem earum habeat. ita Azor, p. 1. L. 12. c. 7. q. 2. § 3. *Leff. Sanch. Pirh. LL. cit. de cattero eti regulis ordinis non sit obstrictus sub culpa vel poena, ex honestate tamen & decentia quadam morali tenetur ad eas servandas in iis, quæ Episcopalem dignitatem non dedecent.* Azor. *I.c. n. 4.* *Sanch. I.c. n. 16.* *Pirh. L.c.* ubi etiam cum *Sanch. I.c. n. 36.* quod hæc multo magis locum habeant in professo assumpto ad ecclesiam parochiale, intellige, & non subjectam religioni & quidem etiam obstrictus sit regulis sui ordinis, quæ cum pastorali munere & functionibus consistere possunt sub poena & culpa.

3. **Repl.** Tertiò: professus contra professionem valide à se emissam nullo unquam tempore aut modo praescribere potest, ita ut, quantocunque tempore post eam emissam, v. g. in gravi infirmitate, maneat in sæculo, & nunquam se ad monasterium reperit, bonaqua sua retinuerit, ejus tamen vinculo se eximere nequeat, pro ut habetur *in c. sicut nobis 17. b. t. ex ea etiam ratione, quod nulla temporis diuturnitas excusat in malefactis, sed potius culpam auget ob perseverantiam in malo juxta auct. nulli iudicium §. 1. vers. neque vero, collat. 9. §. L. 67. §. infans. ff. defurtis. & sempèr fuerit in mala fide, ut gl. in cit. c. & abb. n. 3.*

**Quæst. 841. Quinam sint effectus profes-  
sionis?**

1. **Resp.** Sunt fere sequentes. Primo quod actuали professione tollatur & extingvatur omne votum simplex antecedenter à profiente emisum. *Sanch. L. 5. mor. c. 5. n. 36.* *Castrop. ir. A. 6. d. 2. p. 8. n. 4.* *Pirh. b. t. n. 139.* cum communis, juxta textum clarum c. *scrip-  
tura de voto.* ubi in specie de voto visitandi sepulchrum domini, limina Apostolorum, ingrediendi religionem, ex ea etiam ratione, quod vinculum simplex & minus, quale est votum simplex, per majus & fortius, quale est votum solenne professionis, disolvatur, ut patet in venditione simplece, cuius obligatio tollitur per venditionem posteriorem secutâ traditione. In sponsalibus de futuro, quæ solvuntur per sponsalia de præsente seu matrimonio cum alia. ut &, quod professione assumatur status virtute sua continens & excedens quæcumque alia obsequia, temporalia & particularia, quæ ab homine Deo exhiberi possunt; cum profitens se totum cum omnibus rebus & iuribus suis perpetuo consecret & tradat Deo, eique omnium ex quacunq; promissione debitorum perfectam abundantemque præstet solutionem & satisfactionem, censent nihilominus Felin. *in c. pervenit de jure n. 2.* Angel. *v. votum 4. n. 2.* *Sanch. &c. apud Wiesn. b. t. n. 108.* principem, qui in terra sanctæ subdium se cum exercitu valido profectum vovisset, per professionem non solvi voto, & illius in hanc commutationem ei non permissem, eò quod opus hoc professione melius videatur, sic etiæ professione non extinguntur vota quib; intuitu honoris & cultus divini promissum est aliquid Ecclesie hospitali, vel etiam privato homini, postquam ab Ecclesie prælato aut hospitalis administratore aliwo accepta sunt, nisi promissarius talis juri per tale votum acquisto renunciarit. *Sylv. v. votum 4. q. 7. d. 1. 5.* *Sanch. L. 5. mor. c. 5. n. 40.* *Pirh. ad lit. de votis n. 26. § 28.* *Wiesn. b. t. n. 107.* eò quod professionem, quæ juri alteri quæsito derogat, Deus non acceptet. 2. Ampliatur è contra hic effectus primi, ut quoq; per professionem, factam in religione laxiore extingvatur votum ingrediendi religionis regidorem

H h h 2

utpote sim-